

religiosi, veluti vitæ perfectoris æmulatores, jurare timuerunt, in iudicio pro causis suæ ecclesiæ; et in ejus Summario sic præcise dicitur: *Licite ex causa necessaria etiam per religiosos juratur.* Tum quia Clerici in causis suarum ecclesiarum, imo et in propriis suis causis præstare possunt juramentum calumniæ, c. *Inherentes* 1, c. *Cæterum* 5, de juramento calumniæ. Quinimo in jure ipso canonico est expresse statutum quod non credatur testi, quamvis religioso, nisi juratus deponat, cap. *Nuper* 51, de testibus, ibi: *Respondemus quod nullius testimonio quantumcunque religiosus existat (nisi juratus deposuerit) in alterius præjudicium debet credi,* et in ejus Summario sic dicitur: *Non creditur testi etiam religioso qui sine juramento deponit.*

(44. Quamvis autem clerici, sive religiosi, etiam sacerdotes, exigente necessitate, possint juramentum præstare voluntarium coram laico, arg. cap. *Ex rescripto* 9, de jurejurando, et cap. *Pervenit* 2, de fidejussoribus, non debent tamen nec possunt jurare coram laico, tanquam superiore suo exigente ab ipsis juramentum coactivum sive necessarium sine licentia sui Prælati, cap. *Quoties* 21, caus. 22, quæst. 5, ibi: *Juramentum vero clericus laico præstare non debet;* et cap. *Nullus* 22, ead. caus. et quæst. ibi: *Nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quidpiam super sacra evangelia jurare præsumat;* et cap. *Inherentes* 1, de juramento calumniæ, ubi Summus Pontifex Honorius III, postquam adduxit statutum seu constitutionem Henrici imperatoris omnimode prohibentis clericos et religiosos compelli ad jurandum in manibus laicorum, his verbis: « Nos itaque divinæ et humanæ legis intentione servata decernimus, et imperiali auctoritate irtractabiliter definimus, ut non episcopus, non cujuscunque ordinis clericus, non presbyter abbas, non aliquis monachus, vel sanctimonialis, in causa quacunque sive controversia seu criminali seu civili jusjurandum compellatur qualibet ratione subire; sed aliis idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverit) hujusmodi officium liceat delegare, » statim subjungit: « Verum cum hac moderatione, ut episcopus inconsulto Romano Pontifice, vel quisque clericus inconsulto prælato suo, minime jurare audeat. » Sic tenent Sanchez lib. III, in Decalog. cap. 3, n. 8; Silvester verb. *Juramentum* 2, q. 3; Layman loc. cit., num. 5; Pirhing loc. cit., n. 22, et alii passim. Vide verb. *Testes*, art. 1, a. n. 106.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

Omnes juramenti judicialis species persequi nimium esset. Pauca tantum habebimus de juramento suppletorio, tum de juramento purgatorio.

(45. Suppletorium juramentum non inventeris nostrorum pragmaticorum erroribus, uti Faber de errorib. Pragmatic., decad. 19, err. 1, blaterat; sed juri civili in leg. 31, ff. de Jurejurando, et in leg. 3, cod. eod. confirmato a jure canonico in cap. 2, de Proba-

tionib., originem debet. Consule Seraphin. de Privileg. jurament. Privileg. 33, num. 3.

(46. Est autem juramentum suppletorium, quod a iudice causa cognita, vel reo si suam exceptionem, vel actori, si actionem, licet non perfecte, tamen ad minimum semiplene probavit, ad decidendam hanc causam dubiam imponitur, parte etiam non petente.

(47. Posita semiplena probatione, de qua adeundus Stryk. jurid. dissert., vol. VII, disp. 1, per tot., requisita juramenti suppletorii commodissime ad tres illos juramentorum comites, *veritatem* scilicet, *judicium*, et *justitiam*, referri possunt.

(48. Requiritur igitur *primò veritas*. Hinc juramentum suppletorium super *credulitate* deferri nequit, ut quidquid contradicat Carpzov. Jurisprud. Fovens., part. x, constit. 23, definit. 8, firmant Esbach. Not. in Carpzov. l. c., n. 2; Stryk. de Jur. sensum, in proœmio, num. 39 et seq. Adde Brunem. de process. civil. cap. 23, num. 25. (49. Vide tamen casus in quibus juramentum suppletorium super credulitate deferri potest, apud Bohemer. in Decretal., lib. II, tit. 24, § 72.

(50. Requiritur *secundo iudicium*. Hoc desultoriam levitatem in jurando respuit, temeritatemque excludit; e contrario plenam animi deliberationem in jurante exigit, ut cogitationibus negotium accurate perpendat.

(51. Oportet igitur jurantem personam esse legalem et fide dignam; quapropter ei contra quem præsumptio est quod falsum dicat juramentum, hoc haud defertur, tametsi semiplenam probationem pro se habeat. (52. Neque hoc remedium juris semel pejeranti, homicidæ, usurario, condemnato actione furti, injuriarum, aliisque infamia juris et facti notatis conceditur.

(53. Requiritur demum *Justitia*, quæ observatur dum iudex ad hujus juramenti delationem non nisi causa cognita devenit.

(54. Pertinet autem potissimum ad hanc causæ cognitionem ut iudex probe perpendat an causæ qualitas ita sit comparata, ut supplementum hoc probationis admittat. Quædam enim privilegiatam hanc probationem respuunt, et ordinariam probationem desiderant.

(55. Huc pertinent *primò causæ criminales*. Vide tamen limitationes apud Carpzov. de Process., tit. 12, art. 2, n. 73. (56. *Secundo causæ matrimoniales*. (57. *Tertio causæ famosæ*, in quibus condemnatus evadit infamis.

(58. Quinimo in omnibus actionibus civilibus quæ sunt arduæ, quamvis semiplena probatio facta sit, juramento suppletorio locus haud est. (59. Tales sunt *pecuniariæ graves, beneficiæ, feudales, causæ, status, aliæque plures*. Confer Minsinger centur. 1; observat. 69; Seraphin. de Privileg. Juram., privil. 33, num. 129 et sequent. (60. Non vero causas hasce haud excludere probationem semiplenam majorem, cum legalitate personæ, pro qua jus præsumit conjunctam, quia tunc demum suppletorium juramentum locum sibi vindicat.

(61. Vide et alios casus in quibus locus

hand datur juramento suppletorio apud Stryk. Juridic. dissert.; vol. VII, disput. 1, cap. 5, § 8, et potissimum volum. XI, disp. 29, quæ est De causis juramentum suppletorium respuentibus.

(62. Num autem contra juramentum suppletorium jam prælitum probatio contrarii admittatur, non levis quæstio est. affirmant tamen Carpzov., Jurisprud. fovens. part. I, constit. 15, definit. 5; Nicolaus Calvolus in Praxi judiciali, § *Sententia definitiva*, conclus. 1, num. 97.

(63. Deveniamus ad juramentum purgatorium. Hoc iudex in causa dubia actori vel reo suspicione, probatione semiplena inferiore gravato, ad eam elidendam imponit, et quidem ex officio.

(64. Quæ autem præsumptiones adesse debeant ut purgatorio huic juramento sit locus, tradunt Lauterbacus, Struvius, alique ad tit. ff. de jurejurando.

(65. An post hujus jursurandi præstationem locus sit probationi contrarii, pariter disputatur, sententiamque affirmativam tenent Setser. de Jurejur., lib. III, cap. 11, num. 45 et seq.; Brunnem. de Process. civil., cap. 23, num. 38.

(66. Idque non solum si juramentum purgatorium in causa civili prælitum sit, verum etiam si sit prælitum in causa criminali; Mynsiger. Centur. 2, observ. 82, fere per tot.; Tabor. de Confront. disput. 3, thes. 16.

(67. Sequitur hinc quod is qui jure retractus legali uti vult ad elidendam fraudis suspicionem, licet juramento se purgaverit, quod pro se non pro alio retrahat, nihilo tamen minus contra hoc juramentum locus est probationi contrarii: Menoch. de Arbitrar. jud. Quæst., lib. I, quæst. 76, num. 17; Suarez in Thesaur. recept. opinion., lit. I, num. 313. Alia exempla affert Stryk. Juridic. Dissert. vol. VII, disput. 28, cap. 6, § 7.

(68. Omittendum haud est diversum ab hoc purgatorio juramento esse juramentum de veritate dicenda, quod nonnullis in tribunalibus reis indistincte deferebatur ex consuetudine potius quam ex jure. Quocirca prohibitio facta a concilio Romano tit. 13, cap. 62, hujus juramenti de veritate dicenda, non cadit super juramento purgatorio.

ARTICULUS III.

Juramentum promissorium quod ad ea, quæ concernunt ejus interpretationem, obligationem, irritationem, dispensationem, et relaxationem, seu remissionem.

SUMMARIUM.

1. Juramentum in dubio est stricte interpretandum. — 2. Juramentum bona fide et sine dolo generatum prælitum quomodo interpretandum. *Ad num. 3.* — 4. Juramentum prælitum circa materiam juris quomodo interpretandum. — 5. In omni juramento promissorio quamvis absolute factum, quædam tacite subintelliguntur conditiones, quæ assignantur. *Ad num. 10.* — 11. Juramentum servandi statuta edita alicujus ecclesiæ, capituli, collegii, communitatis, civitatis, provincie, seu regni quomodo interpretandum. *Ad num. 11.* — 13. Jura-

mentum promissorium debite factum circa materiam honestam, vel inhonestam, an obliget, vel noa. *Ad num. 16.* — 17. Juramentum soli Deo factum de opere minus perfecto, vel de re indifferenti an obliget. — 18. Juramentum factum homini, aut ecclesiæ, vel alicui communitati de re honesta et licita, an obliget, et an possit solo jurantis arbitrio commutari. *Ad num. 19.* — 20. Juramentum promissorium, gravi, et injusto metu extortum an obliget. — 21. Obligatio juramenti, an, et quando transeat ad hæredes vel successores. *Ad num. 24.* — 25. Juramenta quocunque modo facta a quo irritanda, seu annullanda. *Ad num. 34.* — 35. Relaxare juramenta, sive directe, sive indirecte ad quos spectet. *Ad num. 37.* — 38. Quatenus juramentum acibus invalidis adjectum vigorem in praxi habeat. *Ad num. 55.* — 54. An ex tali juramento hodie detur actio: alia ad rem. Vide v. *Votum.* — Subnectuntur additiones Casioenses plusquam 90 num. comprehensæ. Ponitur in fine formula juramenti quod ab episcopis ante consecrationem Romano Pontifici præstatur prout in Pontificali R. continetur, ubi nonnulla ad rem.

(1. Juramentum in dubio est stricte interpretandum, tum propter gravem, quam in se continet religionis obligationem, tum propter perjuri periculum, adeoque illud, quod palam verbis expressum non est, censetur omissum: I. *Quidquid astringendæ*, ff. de verbor. obligat. ibi: « Quidquid astringendæ obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimat, omissum esse intelligendum est, aut certe secundum promissorem interpretandum. » Et hoc colligitur etiam ex cap. *Cum Clerici* 10, de verbor. signific., ubi juramentum a quopiam editum stricte per innocentium III Summum Pontificem interpretatur; et concordat cap. *Contingit* 1, de jurejurando in 6. Et ratio est, quia, ubi agitur de inducenda obligatione, utpote quid odiosum, debet fieri stricta interpretatio: cap. *Odia* 15, de regulis juris in 6, ibi: *Odia restringi, et favores convenit ampliari.* Et sic tenent communiter doctores.

(2. Juramentum bona fide et sine dolo generaliter prælitum est interpretandum secundum intentionem jurantis, neque extendendum est ad incognita, seu ad ea de quibus jurans in specie non cogitavit, et si menti occurrisset, verisimiliter non promississet, sed excepisset: arg. cap. *Veniens* 16, de jurejurando, ubi Innocentius III Summus Pontifex definit non esse servandum quoddam juramentum, quia jurans *nequam taliter jurasset, si mandatum illud sibi contrarium præcivisset.* Et ita docent Glossa ibidem verb. *Præcivisset*; Abbas ibidem, num. 4; Joann. Andr. num. 9; Barbosa num. 4, et alii canonistæ communiter; Pirhing lib. II decretal., tit. 24, n. 109; Reiffenstuel ibid., n. 44, et S. Thomas 2. 2., quæst. 98, art. 2 ad 3, ubi docet quod si quis, verbi gratia, juravit se alteri in omnibus paritum, tale juramentum est interpretandum, dummodo non illicita, vel importabilia, et immoderata, et statui suo obstantia, seu contraria ei præcipiat: arg. cap. *Contingit* 1, § final., de jurejurando in 6, quia in generali promissione non veniunt ea quæ quis verisimiliter in specie non promississet aut promittere non potuisset: arg.

cap. *In generali* 81, de regulis juris in 6, ibi: *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

(3. Si autem jurans dolose præstitit juramentum sub verbis æquivocis ad decipiendum eum cui juravit, tunc juramentum est interpretandum, et obligat juxta intentionem recipientis, id est juxta sanum intellectum illius cui juratur: cap. *Quacunque* 9, caus. 22, qu. 5, ibi: « Quacunque arte verborum quisquis juret, Deus tamen, qui conscientie testis est, ita hoc accipit sicuti ille cui juratur intelligit. Dupliciter autem reus fit, quia, et Dei nomen in vanum assumit, et proximum dolo capit. » Et sic tenent S. Thomas 2, 2, quæst. 89, art. 7 ad 4; Angelus verb. *Juramentum* 4, num. 1; Navarrus cap. 12, Manual., num. 3; Reiffenstuel loc. cit., num. 48; Sanchez lib. III, in Decalog. cap. 10, num. 4, et num. 12, 13 et 14; Covarruvias in cap. *Quamvis*, de pactis in 6, part. 1, § 3, n. 1 et 2, et alii passim. Et ratio est quia *Fraus et dolus alicui patrocinari non debent*, cap. *Sedes* 15, et cap. *Ex tenore* 16, de rescriptis; cap. *Ex litteris* 2, de dolo et contumacia; cap. *Tua* 12, de clericis non residentibus, et l. *in fundo*, ff. de rei vind.; l. *Cum hi*, ff. de transact., et in l. *Si legatarius*, cod. de legatis, ibi: *Ut non accipiat fructus suæ calliditatis.*

(4. Juramentum præstitum circa materiam juris, id est, circa illa de quibus jus aliquid disponit (est interpretandum secundum dispositionem juris, nec est ultra extendendum; arg. cap. *ad nostram* 21, de jurejurando, in cuius summario sic præcise habetur: « Juramentum generale debet ita intelligi, si fieri potest, ut non obviet juri, alias tanquam temerarium non obligat contra juris observantiam; » et concordat textus in l. ultim., ff. Qui satis dare cogantur, ibi: « Qui jurato promisit iudicio sisti, non videtur pejerasse si ex concessa causa hoc deseruerit; » et sic tenet Glossa in cap. *Contingit* 1, verb. *Declaramus*, de jurejurando in 6; Abbas in cap. *Tua nos*, num. 4, de ecclesiis ædificandis; Innocentius in cap. *Per litteras*, circa medium, de Arbitris; Pirhing lib. II, Decret., tit. 24, n. 107; Reiffenstuel ibid., n. 41; Layman Theol. moral., lib. IV, tract. 3, cap. 9, n. 2, et alii passim. Et ratio est, quia in quolibet juramento promissorio tacite subintelligitur, atque ipso jure inest conditio illa, salvo jure et auctoritate superioris (scilicet supremi legislatoris) cap. *Venientes* 59, de jurejurando.

(5. Unde in omni juramento promissorio, quamvis absolute facta, quædam tacite subintelliguntur conditiones, sicuti docent Glossa in c. *Quemadmodum* 25, de jurejurando, verb. *Conditio*; Abbas ibid., n. 8; Pirhing loc. cit., n. 119; Reiffenstuel loc. cit., n. 51; Silvester verb. *Juramentum* 3, quæst. 1; Suarez lib. II, de juramento, cap. 34; Layman loc. cit., n. 4, et alii; et clare colligitur ex cit. cap. *Quemadmodum* 25, § 1, de jurejurando, ibi: « Non obstante hu-

jusmodi juramento, quoniam in eo talis erit subintelligenda conditio. »

(6. Prima conditio quæ in juramento promissorio tacite ac ipso jure subintelligitur, est, *Si potero*, quia ex cap. *Nemo* 6, de regulis juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari*, et hoc procedit nedum de impossibili physice, id est quod naturaliter fieri non potest, sed etiam de impossibili moraliter, id est quod licite fieri non potest; quia juramentum non est vinculum iniquitatis; cap. *Quanto* 18, de jurejurando; cap. *Contingit* 1, eodem in 6. Nam de jure illud tantum possibile, et fieri posse censetur quod licite fieri potest, cap. *Fraternitatis* 15, caus. 22, quæst. 2, juncta Glossa verb. *Quod potest.*

(7. Secunda est, *Salvo jure et auctoritate superioris*: colligitur clare ex cap. *Venientes* 19, de jurejurando, ibi: « Cum prædictum juramentum vos excusare non possit, in quo debet intelligi jus superioris exceptum. » Et in ejus summario dicitur: « Non valet juramentum præstitum in præjudicium juris superioris; » et concordat cap. *Ea te* 22, de jurejurando, ubi illicitum nec servandum statuitur juramentum, quod salvo Apostolicæ Sedis honore servari nequit.

(8. Tertia est, *Nisi is in cujus favorem juratum est, sponte remiserit*: quia quilibet potest rem vi juramenti sibi debitam, alteri remittere et condonare, cum quilibet suo juri renuntiare possit: cap. *Si diligenti* 12, de foro competent., et cap. *Si de terra* 6, de privilegiis, ubi sic expresse habetur: *Cum liberum sit unicuique juri suo renuntiare*. Tum quia beneficia non conferuntur in invitum, textu expresso in l. *Invito*, ff. de regul. juris, requiritur enim ejus acceptatio, leg. *Absenti*, ff. de donation.; adeoque, etc.

(9. Quarta conditio est; *Si res in eodem statu permanserint*, id est, non fuerint notabiliter mutata: quia verisimile non est jurantem habuisse intentionem se obligandi ad rem adeo difficilem, vel etiam indecentem, qualis contingere solet ubi notabilis mutatio supervenit; adeoque ejus juramentum est interpretandum, quod ad casum adeo improvisum et incogitatum se non extendat, sic colligitur ex capit. *Veniens* 16, cap. *Brevi* 17, ibi: *Nisi difficultas existat, propter quam requisitus non possit ecclesiæ subvenire*; cap. *Quemadmodum* 25, et cap. *Petitio* 31, de jurejurando; et concordat textus in l. *Cum quis*, § 1, ff. de solutionibus, ibi: « Tacite enim hæc conventio inesse stipulationi videtur, si in eadem causa maneat. »

(10. Quinta conditio maxime in pacto vel contractu etiam jurato subintellecta est: *Si et altera pars fidem servaverit*, id est, pacto seu promissis suis steterit; quia ex cap. *Frustra* 75, de regulis juris in 6, *Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, qui fidem a se præstitam servare recusat*, et habetur expresse in cap. *Pervenit* 3, de jurejurando ibi: « Nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento firmasses, aliquatenus teneris, si constet eum conditioni minime pa-

ruisse; » concordat cap. *Sicut* 29, eod. § *Juramentum*, ibi: *Juramentum autem quod Joannes se asserit præstitisse, si de assensu factum est utriusque, eum non ligat qui præstitit, dum ille cui præstitum fuerit, servare negligit quod promisit*; et in ejus summario præcise dicitur: « Non astringitur quis juramento adimplendo quod juravit, si ab alia parte non impletur cujus respectu præstitum est juramentum. »

(11. Juramentum servandi statuta edita alicujus ecclesiæ, capituli, vel communitatis, civitatis, provinciæ, seu regni, non est interpretandum quod extendatur ad statuta in posterum edenda, textu expresso in cap. *Clericus* 35, de jurejurando, et ibi Glossa et doctores communiter. Juramentum enim est stricte interpretandum ex juribus adductis supra sub n. 1, adeoque, qui juravit servare statuta jam edita, nequit intelligi quod vi talis juramenti voluerit se obligare ad servanda etiam statuta in posterum edenda.

(12. Imo, etiamsi quis promittat se velle vi juramenti antea præstiti servare illa statuta postmodum edita, quia obligatio prioris juramenti non potest ultra fines sui objecti extendi per simplicem promissionem: objectum autem prioris juramenti fuerunt solum statuta jam edita, unde nisi de novo juraverit, promissio illa retinet solam vim simplicis promissionis, ac proinde, licet quis transgredi non debeat quod promisit, non tamen censendus est perjurus, si promissum non exsequatur, cum ad exsequendam talem simplicem promissionem non obligetur ex debito præstiti juramenti, ut expresse habetur in cit. cap. *Clericus* 35, de jurejurando, ibi: « Clericus qui juravit se statuta in ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem juramentum statutum, quod postmodum subsecutum est, fideliter observare, licet transgredi non debuerat quod promisit, non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti juramenti. » Et in ejus summario sic præcise dicitur: « Qui juravit servare statuta edita, et postea per illud juramentum aliter non jurando, promisit servare edenda seu postea edita, non tenetur ex juramento ad noviter edita. »

(13. Item juramentum etiam absolute et simpliciter præstitum servandi statuta alicujus ecclesiæ, collegii, civitatis, provinciæ, vel regni, non addendo *jam edita*, non extenditur ad futura seu edenda, nisi expresse in aliqua parte juramenti fiat mentio, seu appareat jurantis intentionem etiam esse de futuris: Baldus in cit. cap. *Clericus* 35, de jurejurando, n. 3; Barbosa ibid., num. 7; Pirhing lib. II, Decretal., n. 105; Reiffenst. ibid. n. 62; Angelus verb. *Juramentum* 5, n. 35; Sanchez lib. III, in Decalog. c. 14, n. 1; Azorius p. 1, lib. II, c. 8, qu. 7; Suarez de Juramento, cap. 32, n. 11, et alii plures ab ipsis citati contra aliquos volentes juramentum simpliciter præstitum de servandis statutis extendi etiam ad servanda in posterum edenda. Et ratio nostra est, quia juramentum ob periculum perjurii, et damnum

quod sequi potest, est stricte interpretandum ex juribus adductis supra num. 1; adeoque non debet extendi ad id quod verba late significant.

(14. Dummodo tamen posterius illud statutum non sit mere declarativum prioris seu veteris, quia tunc tale statutum mere declarativum non esset vere novum statutum: sed realiter esset idem cum veteri, eo quod declaratio legis retrotrahatur ad tempus conditæ legis, atque a principio jam inesse, et infuisse censetur: authent. *De raptis mulieribus*, § final. collat. 9, ubi imperator de tali legum suarum declaratione loquens ait: « Quam interpretationem non in futuris tantummodo casibus, verum in præteritis etiam valere sancimus, tanquam si nostra lex ab initio cum interpretatione tali promulgata fuisset a nobis. » Concordat textus in l. *Ita fidei* 40, ff. de jure fisci, ibi: *Non tantum legem circumveniri voluit, sed etiam interpretationem legis*. Et sic tenent Baldus et alii supracitati doctores, et Glossa communiter recepta in cap. *Sicut nobis* 5, verb. *Respondemus*, de verbor. signif. in 6.

(15. Omne juramentum promissorium debite factum circa materiam honestam et licitam parit obligationem observandi illud ex virtute religionis. *Communis* textu clare in cap. *Si vero* 8, de jurejurando; et concordat c. *Cum contingat* 28, eod., et cap. *Quamvis pactum* 2, de pactis in 6, cum similibus. (16. Juramentum autem de re inhonesta et illicita mortaliter seu venialiter, nullam parit obligationem. *Communis* textu aperto in cit. cap. *Si vero* 8, et cap. *Cum contingat* 28, de jurejurando, cap. *Quamvis* 2, et cap. *Quia* 3, de pactis in 6, cap. *Si publicis* 1, cap. *Est etiam* 2, cap. *Quod David* 2, cap. *Juravit David* 4, cap. *In malis promissis* 5, cap. *Si aliquid* 6, cap. *Unusquisque* 8, cap. *Non est observandum* 13, cap. *Si aliquid* 16, cap. *Actione* 18, cap. *Si quis* 19, cap. *Si ad peccatum* 20, cap. *Mulier* 21, cap. *Inter cætera* 22, et cap. *Innocens*, 23, caus. 22, q. 4, cap. *Non est obligatorium* 58, et cap. *In malis* 69, de Regulis Juris in 6. Et ratio est, quia juramentum non fuit institutum ut esset vinculum iniquitatis, ut expresse dicitur in citat. cap. *Quanto* 18, de jurejurando, ibi: « Cum juramentum non ut esset iniquitatis vinculum fuerit institutum, » et in cap. *Inter cætera* 22, caus. 2, quæst. 4, ibi: « Porro juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur ut esset vinculum iniquitatis. » Hinc in cap. *Non est obligatorium* 58, de regulis juris in 6, expresse dicitur: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*, et cap. *In malis promissis* 69, de regulis juris etiam in 6, præcise habetur: *In malis promissis fidem non expedit observari.*

(17. Juramentum soli Deo factum de opere minus perfecto, et cujus oppositum est melius, sicut et juramentum Deo factum de re prorsus indifferente, non obligat. *Communis*, arg. cap. *Scripturæ* 4, de voto, ubi statuitur non obligare votum de re impeditiva majoris boni, et licite posse elici illud majus bonum,

adeoque idem dicendum venit de juramento soli Deo facto, quod induit naturam voti; et clare habetur in cap. *Pervenit* 3, de jurejurando, ubi expresse dicitur: « Non enim propositum aut promissum infringit qui in melius illud commutat. » Et in ejus summario dicitur: « Non pejerat qui juramenti implementum in melius commutat. »

(18. Juramentum autem factum homini, seu ecclesiae, vel alicui communitati de re honesta et licita semper obligat, neque in aliam quamvis meliorem rem solo jurantis arbitrio commutari potest. *Communis*, arg. cap. *Cum contingat* 28, de jurejurando, et cap. *Quamvis pactum* 2, de pactis in 6, ubi tanquam recepta juris canonici generalis regula statuitur quod « Juramentum homini praestitum necessario sit servandum, quotiescunque sine peccato, seu sine salutis aeternae dispendio, et sine alterius praedicio servari potest. »

(19. Ratio vero quare juramentum promissorium soli Deo factum de opere minus perfecto non obliget, sed possit solo jurantis arbitrio commutari in melius; non sic autem juramentum promissorium factum homini, est quia in juramento promissorio facto homini spectatur quid illi gratius sit, unde mutari nequit in opus quod absolute quidem melius sit: at ei in cujus gratiam seu utilitatem fuit factum, sit minus utile, vel acceptum, cum sic contentus esse non praesumatur. In juramento autem promissorio facto soli Deo spectatur quid melius sit. Unde mutari potest in quaecunque opus melius, cum sic Deus praesumatur esse contentus: Layman *Theolog. Moral.*, l. iv, tr. 3, cap. 6, num. 6; Reiffenstuel l. ii Decret., tit. 24, n. 80, et alii passim.

(20. Juramentum promissorium gravet injusto metu extortum obligat quando sine culpa servari potest, et a legitimo superiore non relaxatur; sic, verbi gratia, qui juravit latroni inique exigenti pecunias soluturum, juramentum servare debet, nisi ei relaxetur. *Communis*, cum S. Thoma 2-2, q. 89, art. 7, ad 3; Pirhing l. c., num. 60; Reiffenstuel loc. cit., num. 100; Sanchez lib. iii, in decalog., cap. 11, n. 14; Layman loc. cit., cap. 7, n. 2, textu expresso in cap. *Si vero* 8, de jurejurando, ibi: « Si vero aliquis quemquam gravissimo metu sub religione juramenti suum jus refutare coegerit, ipsumque sibi retinuerit, quia nos consulere voluisti an alter eorum, vel neuter id habere debeat; Duximus tibi respondendum quod non est tutum quemlibet contra juramentum suum venire, nisi sit tale quod servatum vergat in interitum salutis aeternae. Nec nos alicui dare materiam volumus veniendi contra juramentum proprium, ne auctores perjurii videamur. » Et ibidem statim subjungitur, quod ad coercendam iniquitatem perversorum, Romana Ecclesia consuevit a tali juramento absolvi. Et in ejus summario sic praecise dicitur: « Si juramentum per metum extortum servari potest sine interitu salutis aeternae, servandum est, Ecclesia tamen Romana consuevit a tali juramento ab-

solvere. » Et concordat cap. *Verum* 15, de jurejurando, et cap. *Ad audientiam* 4, de iis quae vi metusve causa fiunt.

(21. Obligatio propria juramenti, prout procedit ex virtute religionis, est omnino personalis, solumque jurantem afficit, et non transit ad haereditates seu successores ejus: S. Thomas 2-2, q. 98, art. 2 ad 4; Abbas in cap. *Veritatis* 14, de jurejurando num. 3; Covarruvias in c. *Quamvis pactum* 2, de pactis in 6, part. 1, § 5, n. 4; Suarez lib. 1, de jurament., cap. 31, num. 12; Layman loc. cit., cap. 10, num. 7; Sanchez lib. iii, in Decalog., cap. 13, num. 1; Reiffenstuel loc. cit., num. 103; Pirhing loc. cit., num. 146, ubi testatur de communi. Et ratio est, quia tale juramentum est vinculum personale; religio enim juramenti, ejusque obligatio, non nisi propria voluntate suscipi potest, adeoque non transit ad alias personas propria voluntate ad talis juramenti obligationem non concurrentes. (22. Et hoc stat, etiamsi quis pro se et suis successoribus juraverit aliquid praestare; quia, licet successores in tali casu possint obligari vi pacti seu promissionis ab alio acceptatae, ut infra num. 24 dicitur, non tamen hi obligantur ex vi juramenti, adeo ut si juramentum sui antecessoris non servant, censeantur perjuri; quia obligatio juramenti, quae oritur ex virtute religionis, non nisi propria voluntate suscipi potest, cum sit actio personalis; Abbas, Sanchez, Layman, Pirhing, Reiffenstuel, loc. cit., et alii.

(23. Unde si rex, verbi gratia, episcopus, canonicus, et hujusmodi ad regnum, episcopatum, canonicatum, et hujusmodi admittantur sine ullo praestito juramento, non obligantur sub juramento ad servanda ea quae sui antecessores servare jurarunt; et si ea transgrediantur, non evadunt perjuri, et per hoc omnes supradicti a principio sui regni, episcopatus, canonicatus, et hujusmodi solent praestare proprium, ac personale juramentum: Silvester verb. *Juramentum* 4, quaest. 3; Suarez, Sanchez, Pirhing, Reiffenstuel, Layman, aliique supracitati.

(24. Obligatio juramenti proprie promissorii seu firmatorii promissionis ab altero acceptatae, vi pacti, seu ex virtute justitiae, transit ad haereditates aut successores ejus cui juratum est, *Communis*, arg. l. *Veteris*, cod. de contrahend. stipulat., et l. *Si pactum* 9, ff. de probationibus, et cap. *Veritatis* 14, de jurejurando, in quo habetur: « Vassallum qui juravit praelato fidelitatem, atque reverentiam, et obedientiam, eandem etiam sine novo juramento debere successoribus, quamvis eorum expressa mentio facta non fuerit. » Unde recte dicunt communiter doctores cum Innocentio et Abbate in cit. c. *Veritatis*; Covarruvias in cit. part. 1, § 2, num. 7; Scaccia lib. ii, de *Judiciis*, c. 2, n. 103, quod juramentum licet sit personale ex parte jurantis, tamen fit reale ex parte ejus cui juratur, id est transitorium cum re, puta dignitate, haereditate, sicuti explicat Abbas in cit. cap. *Veritatis* num. 3;

Covarruvias loc. cit. n. 7; Layman loc. cit., cap. 10, n. 5, in fine, et alii.

(25. Juramenta possunt per potestatem dominativam irritari, seu annullari, non solum per accidens, et indirecte, id est ratione materiae promissae et juratae, quae alterius potestati subjecta sit, sed etiam per se et directe, id est ratione voluntatis jurantis, quae alterius potestati subjecta sit, ut in religioso et impubere accidit. Sic colligitur ex cap. 30, num., et tenent S. Thomas 2-2, quaest. 89, art. 9, ad 3; S. Antoninus p. 2, tit. 10, c. 6, § 2; Sanchez lib. iii, moral., cap. 19, num. 1; Silvester verb. *Juramentum* 3, quaest. 7; Sa eod. verb. n. 31; Layman, loc. cit., cap. 11, num. 1; Sotus lib. viii, q. 1, art. 9; Toletus lib. iv, cap. 23, et alii passim.

(26. Juramenta promissoria soli Deo facta irritari et annullari possunt per potestatem dominativam patris, praelati, domini, mariti, et hujusmodi; sic colligitur ex cit. cap. 30, num., et tenent citati doctores, et alii communiter apud Sanchez cit. lib. v, cap. 19, num. 2, et Layman loc. cit., num. 2. Juramentum enim promissorium Deo factum nihil aliud est quam votum juratum, adeoque fit sicuti votum, ea tacita et subintellecta conditione « salvo jure superioris irritandi potestate praediti argum. » Cap. *Venientes* 19, et cap. *Ea te* 22, de jurejurando, et patet ex dictis num. 7, quia juramentum accedens promissioni, seu voto, assumit naturam, et conditiones ejus, cap. *Quemadmodum* 25, de jurejurando.

(27. Juramenta etiam homini praestita annullari et irritari possunt per potestatem dominativam patris, praelati, domini, tutoris, mariti, et hujusmodi, quoties voluntas jurantis, seu materia jurata est ipsis subjecta, vel praedictans; arg. cit. cap. *Venientes* 19, de jurejurando, ubi statuitur, quod non valeat juramentum praestitum in praedictum juris superioris, et in juramento intelligitur semper jus superioris exceptum.

(28. Unde papa potest irritare et annullare omnia juramenta edita circa beneficia ecclesiastica distribuenda, agenda, minuenda, quia super istis habet plenissimam potestatem; cap. *Licet* 2, de praebend. in 6. Item juramenta de non alienandis rebus Ecclesiae, et alia hujusmodi, quae sunt de materia subjecta dispositioni papae.

(29. Ita episcopus potest irritare ea clericorum juramenta, quae facta sunt circa res suae dispositioni subjectas, ut, verbi gratia, si clericus juravit se vestes sacras commodaturum, aut tali loco non discessurum, donec debita solverit, vel quid aliud fecerit. Non enim ob id derogatur juri episcopi, quo minus ob justam causam eum ad se revocare possit, et inhibere ne sacras vestes commo- det, et hujusmodi; Abbas in cit. cap. *Venientes* 19, de jurejurando, num. 3; Layman, loc. cit., cap. 11, num. 2; Sporer, et alii passim.

(30. Item superior regularis potest irritare et annullare juramenta suorum subditorum, quia ob emissum votum obedientiae, eorum voluntas est omnimode superiori

subjecta, nec habent velle, nec posse: Sanchez cit. lib. iii, cap. 19, num. 3; Layman loc. cit., num. 2; Felix Potestas, tom. 1, p. ii, n. 1715. Sporer, et alii passim.

(31. Item pater ac tutor irritare potest omnia pacta jurata impuberis, quia ob aetatis imbecillitatem, etiam ejus voluntas et obligationes alienae potestati subjectae sunt; Covarruvias in cap. *Quamvis* part. iii, § 1, num. 5; Gunez Resolut. cap. 14, num. 18; Suarez lib. ii, cap. 38, n. 12; Lessius lib. ii, c. 42, n. 61; Layman, loc. cit., n. 2, et alii plures.

(32. Item dominus irritare potest promissiones juratas servi sui, maritus promissiones juratas uxoris, et econtra uxor promissiones juratas mariti, si juramenta illis praedictant, aut sint de materia illis subjecta; Layman loc. cit., n. 2; Felix Potestas loc. cit. num. 1716; Suarez, Sporer, Azorius, et alii passim.

(33. Juramentum autem hominis, cujus voluntas et materia jurata non est alteri subjecta, nec praedictans, quando ab eo, cui est praestitum, acceptatum est, non potest ordinarie remitti, relaxari, irritari, nec dispensari, nec etiam in melius commutari sine consensu ejus cui praestitum est. *Communis* S. Thoma 2-2, q. 89, art. 9, ad 3; Layman loc. cit., c. 11, num. 5. Et ratio est, quia tali juramento est jam acquisitum jus homini, cui praestitum est; unde tali jure, sicuti et aliis bonis, privari non potest.

(34. Notanter vero dicitur *ordinarie*, quia dantur aliqui casus, in quibus potest relaxari etiam tale juramentum. Primo, si bonum commune Ecclesiae talis juramenti relaxationem exigat, quia per text. in cap. *Bona memoria* 3, de postulat. Praelator., l. *Actione* 61, § 1, ff. *Pro socio*, cum similibus, bonum commune praevalet bono particulari, seu privato, et tale juramentum relaxare maxime pertinet ad summum pontificem, ut cum S. Th. 2-2, q. 89, art. 9, ad 3, docet communis doctorum. Interdum tamen potest etiam episcopus juxta qualitatem causarum et personarum relaxare juramentum alteri praestitum, verbi gratia, non accusandi, non denunciandi, et hujusmodi, si bonum commune suae diocesis id postulet. Suar. lib. ii, de jurament. cap. 4, num. 5; Silvester verb. *Juramentum* 5, q. 3; Layman loc. cit., cap. 11, num. 5; Pirhing lib. ii, decretal., tit. 24, num. 154, et indicat etiam S. Thomas loc. cit., ubi dicit quod id maxime pertinere videtur ad potestatem papae, adeoque censent posse interdum juxta qualitatem causarum, et personarum fieri etiam ab episcopo. Secundo in poenam eriminis commissi ab eo, cui praestitum est juramentum, textu claro in cap. *Nos sanctorum* 4, et cap. *juratos* 5, caus. 15, qu. 6, ubi donec excommunicati resipiscant, absolventur a juramento fidelitatis, qui illud ipsis praestiterunt. Tertio ratione gravis injuriae, quam jurans sit passus ab eo, qui juravit, seu ab aliis ejus adhaerentibus, eo quod per dolum, vim, vel metum injuste incussum, vel laesionem valde enormem juramentum, seu contractus jura-